Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch-Krone

in dem Schuljahre 1878—1879,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 11. Juli

und

zu den Schlußfeierlichkeiten am 12. Juli

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Anton

Professor A. Łowiński,

Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

NEUE FOLGE

Nro. XXIV.

Inhalt: 1) De emendando prologo Agamemnonis Aeschyleae. Vom Director.

2) Schulnachrichten. Von demselben.

Deutsch-Krone.

Druck von F. Garms.

1879.

1879. Progr. Nr. 26.

De

emendando prologo Agamemnonis Aeschyleae.

Prooemium.

Quo quod praeclarius monumentum artis habetur, eo fere impensius vel leviore labe liberum nostro iure optamus. en summi critici*) dictum etiam ad Agamemnonem Aeschyleam apprime conveniens et aptum. qua quidem tragoedia haud scio an nulla perfectior sit ac limatior sive universam fabulae compositionem et vim tragicam sive accuratam singularum personarum ἠθοποιΐαν sive sententiarum lumina ac sublime illud et grandiloquum dicendi genus quo Aeschylus excellebat spectamus. quid igitur quaeso mirum si in tanto tamque admirabili artis antiquae monumento vel interpretando vel emendando vel edendo vel qualicumque dote critica adornando tot illustrissimi critici impigro ac laudabili studio elaboraverint? agmen ducit Guilelmus Humboldtius**) immortalis memoriae vir qui Agamemnone Aeschylea eleganter in vernaculam linguam conversa eximiam quandam pulchritudinem ac magnificentiam et artis et sermonis Aeschylei nobis aperuit. quis porro non novit incomparabilem industriam et curam Godofredi Hermanni***) qui quidem per totam vitam in emendando Aeschylo occupatus omni supellectile critica textuque ipso ad probabiliorem speciem adducto solida ac firma fundamenta crisi Aeschyleae primus iecisse ideoque nomen sospitatoris Aeschyli iure meruisse existimandus est? quis denique est quin cognita habeat celebratissima nomina recentissimorum criticorum qui partim eadem atque Hermannus via insistentes partim proprio Marte in artem atque sermonem Aeschyli textusque Aeschylei

*) Vide Friderici Ritschelii prooemium academicum indicis scholarum aestivarum Bonnensium a. 1862 p. III. [opusc. philol. Lipsiae 1866 vol. I p. 394].

**) Aeschylos Agamemnon metrisch übersetzt von Wilhelm von Humboldt. 2. Auflage. Leipzig 1857. [prior editio prodiit a. 1816, cui notas criticas adiecit Godofredus Hermannus.] ac de singulari Agamemnonis praestantia sic ibi egregie disputavit vir clarissimus proleg. p. III: unter allen Werken der Griechischen Bühne kommt keines dem Agamemnon an tragischer Erhabenheit gleich. So oft man dies wundervolle Stück von neuem durchgeht, empfindet man tiefer, wie bedeutungsvoll jede Rede, jeder Chorgesang ist, wie alles Einzelne, wenn gleich äusserlich scheinbar locker verbunden, innerlich nach Einem Punkte hinstrebt, wie jeder aus zufälliger Persönlichkeit geschöpfte Bewegungsgrund entfernt ist, wie nur die grössesten und dichterischsten Ideen die überall waltenden und herrschenden sind, und wie der Dichter dergestalt alles bloss Menschliche und Irdische vertilgt hat, dass es ihm gelungen ist, das reine Symbol des menschlichen Schicksals, des gerechten Waltens der Gottheit, des ewig vergeltenden Verhängnisses hinzustellen, das unerbittlich Schuld durch Schuld so lange rächt, bis ein Gott mitleidsvoll die zuletzt begangene versöhnt.

***) Godofredi Hermanni editionem curavit Mauricius Hauptius. Berolini 1852. II vol. [altera editio item Berolini apud Weidmannos prodiit a. 1859].

memoriam ac mutuas codicum rationes diligentissime et accuratissime inquirentes manum poetae tot saeculorum decursu obscuratam et multiplici vitiorum genere depravatam denuo instaurare atque pristino nitori suo restituere conati sunt? in promptu sunt cum multorum criticorum nomina tum Schoemanni*) Engeri**) et duumvirorum Weilii***) et Keckii****) de emendanda Agamemnone Aeschylea optime meritorum.

Iam vero cum tot tantisque criticis in emendando Aeschylo concertare eorumque quasi ἀντίτεχνος (ut Platonico*****) vocabulo utar) fieri nolim, quod quidem difficillimum esse probe scio. attamen quoniam admirabilis illa Agamemnonis Aeschyleae pulchritudo et praestantia quam supra dixi nescio quo pacto animum allicit ac tenet, parvum utique specimen et quasi quoddam spicilegium criticum ad prologum huius fabulae spectans per hanc scribendi opportunitatem proponere mihi liceat.

Ac de subsidiis quidem criticis emendationis Aeschyleae veluti de codicis Medicei fide deque mutuis reliquorum codicum rationibus, tum de scholiorum Mediceorum usu, denique de lege illa compositionis antitheticae a Weilio inventa nuper******) copiosius exposuimus quaeque de his ipsis subsidiis criticis et de modico eorum ad emendandum Aeschylum usu ibi p. 23 summatim monuimus, ea etiamnunc vera nobis videntur. sunt autem potissimum haec: ,omnem criticam Aeschyli supellectilem valde mancam atque dubiam esse et ut plane dicam quod sentio, tam Mediceum codicem eiusque scholia quam reliquos omnes quotquot exstant codices temporis iniquitate communem labem eamque aliquanto graviorem quam vulgo creditur iam pridem traxisse existimo. tot vero locos Aeschyleos saeculorum decursu vel inscitia vel neglegentia vel etiam fraude librariorum manifesto depravatos ac desperatos qui tandem quaeso hodie ad saniorem probabilioremque speciem revocabimus? ne multa — nisi omnino desperare de instaurando Aeschylo volumus, rationem illam centum codicibus potiorem etiam ad crisin Aeschyleam constanter et strenue adhiberi necesse est, ut ea potissimum duce primum quid sit Aeschyleum vel certe Aeschylo dignum, quid non, quam accuratissime internoscamus et exploremus, deinde vero quid tandem a poeta locis corruptis antiquitus scriptum fuisse verisimile sit, probabili saltem coniectura et divinando assequamur — donec aliquando vetustissimus ille codex archetypus etiamnunc alicubi delitescens (utinam verus rumor sit!) ex latebris suis in lucem protractus omnem criticorum Aeschyleorum emendandi operam si non omnino supervacaneam, at faciliorem commodioremque reddat.'

Itaque quod iam aliquotiens in Aeschylo periclitatus sum, idem nunc quoque in perpoliendo prologo Agamemnonis experiar nec operam perdidisse videbor, si forte parvam hanc nobilissimae

---

*) Emendationes Agamemnonis Aeschyleae. cf. index scholarum in universitate litteraria Gryphiswaldensi per semestre hibernum a. 1854—55 habitarum.

**) Aeschyli Agamemno. primum edidit R. H. Klausen. editio altera quam curavit R. Enger. Lipsiae 1863. eiusdem Engeri editio Agamemnonis exstat in usum scholarum parata a. 1855 nuperque recognita et sic inscripta: Aeschylos Agamemnon mit erklärenden Anmerkungen herausgegeben von Robert Enger. Zweite Auflage, umgearbeitet von Walther Gilbert. Leipzig 1874.

***) Aeschyli Agamemno. recensuit adnotationem criticam et exegeticam adiecit Henricus Weil. Gissae 1858. vide etiam eiusdem Weilii Addenda ad Aeschyli Eumenides. Gissae 1861 p. 125 sq. itemque ad Persas. Gissae 1867 p. 117 sq.

****) Aeschylos Agamemnon. Griechisch und Deutsch mit Einleitung, einer Abhandlung zur Aeschylischen Kritik und Commentar. Von Karl Heinrich Keck. Leipzig 1863.

*****) En verba Socratis in Platonis Phaedone c. IV *λέγε τοίνυν, ἔφη, αὐτῷ, ὦ Κέβης, τἀληθῆ, ὅτι οὐκ ἐκείνῳ βουλόμενος οὐδὲ τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ ἀντίτεχνος εἶναι ἐποίησα ταῦτα· ᾔδειν γὰρ ὡς οὐ ῥᾴδιον εἴη.*

******) Per opportunitatem scholasticam gymnasii nostri in progr. a. 1877, cui praecedit disputatio: de emendando primo episodio quod est in Aeschyli Septem adversus Thebas p. 3—7.

tragoediae particulam ad artem et elegantiam Aeschyleam*) divinando et sola coniecturae cuicuimodi est ope revocavero. quod ut vel ex parte mihi contingat, vehementer exopto et quidem eo vehementius quo peius et neglegentius hanc ipsam fabulam Aeschyleam temporis iniquitate in libris mss.**) pridem habitam esse constat.

Caput I.

De vulgato prologi textu deque potioribus criticorum mutationibus.

Vulgatus prologi textus qualem fere plurimae editiones Agamemnonis exhibent, hic est quem infra posui:

ΦΥΛΑΞ.

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων
φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην,
ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν,
καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντας αἰθέρι
ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.
καὶ νῦν φυλάσσω λαμπάδος τὸ σύμβολον,
αὐγὴν πυρὸς, φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν
ἁλώσιμόν τε βάξιν· ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ.
εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω
εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην
ἐμήν· φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ·
ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος,
κλαίω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων,
οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου.
νῦν δ' εὐτυχὴς γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων,
εὐαγγέλου φανέντος ὀρφναίου πυρός.
ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτὸς, ἡμερήσιον
φάος πιφαύσκων καὶ χορῶν κατάστασιν
πολλῶν ἐν Ἄργει τῆσδε συμφορᾶς χάριν.
ἰοῦ, ἰοῦ.
Ἀγαμέμνονος γυναικὶ σημαίνω τορῶς,
εὐνῆς ἐπαντείλασαν ὡς τάχος δόμοις
ὀλολυγμὸν εὐφημοῦντα τῇδε λαμπάδι
ἐπορθιάζειν, εἴπερ Ἰλίου πόλις
ἑάλωκεν, ὡς ὁ φρυκτὸς ἀγγέλλων πρέπει·
αὐτός τ' ἔγωγε φροίμιον χορεύσομαι·
τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.
γένοιτο δ' οὖν μολόντος εὐφιλῆ χέρα
ἄνακτος οἴκων τῇδε βαστάσαι χερί.
τὰ δ' ἄλλα σιγῶ· βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας
βέβηκεν· οἶκος δ' αὐτὸς, εἰ φθογγὴν λάβοι,
σαφέστατ' ἂν λέξειεν· ὡς ἑκὼν ἐγὼ
μαθοῦσιν αὐδῶ, κοὐ μαθοῦσι λήθομαι.

*) De arte et elegantia Aeschyli deque factitanda in eo crisi vide Keckium subtiliter disputantem l. c. p. 196 sqq.: die unverdorbenen Partien des Aeschylos beweisen dass er zu der kleinen Zahl jener geweihten Dichter gehört, welche mit genialer Sicherheit die edelsten und erhabensten Gedanken stets in korrektester und angemessenster Form ausdrücken und denen künstlerische Vollendung unbedingte Naturnotwendigkeit ist. Diesen Massstab habe ich durchweg an die Ueberlieferung gelegt. Wo also nicht ein vollkommen schöner und befriedigender Ausdruck des im Zusammenhang und durch die Idee des Ganzen geforderten Gedankens vorliegt, da ist eine Corruptel indiciert, welche eine gewissenhafte Kritik, mit umsichtiger Benutzung aller Mittel der Gelehrsamkeit, vor allem aber mit Geschmack und eindringlichem Verständniss des Zusammenhangs, zu heben bemüht sein muss.

**) Omnino sex codices Agamemnonis Aeschyleae hodie habemus. ex his duo tantum codices Flor. et Farn. integram Agamemnonem exhibent, reliqui quattuor Med. Guelf. Ven. et Bess. valde lacunosi sunt. is vero quem postremo loco commemoravi codex parvum tantum fragmentum Agamemnonis continet h. e. 333 versus priores. cf. ed. Herm. praef. p. V sqq. —

De ipsius textus depravatione doctissime et accuratissime disputavit vir clarissimus Schoemannus varios et multiplices librariorum errores singillatim enumerans et pertractans l. c. p. 3 sq. qui quidem quod prologum Agamemnonis non attigit, valde dolendum est.

Ac talem quidem textum, quamvis manifesto corruptissimus sit (id quod postea opinor omnibus apparebit) mirari sane subit per tria saecula et quod superest prope immutatum in compluribus exemplaribus propagari potuisse. veluti recentissimae editiones Heusdii*) et Paleii**) eundem illum textum praebent atque editio Victoriana sive Stephaniana***) tanto temporis intervallo a nostra memoria distans (prodiit enim a. 1557), nisi quod Petrus Victorius v. 10. 11 scripturam Aldi Turnebique κρατεῖν — ἐλπίζω duobus asteriscis appositis contra Robortellum et codices qui κρατεῖ — ἐλπίζον habent, nescio quo pacto secutus est et v. 26 σημανῶ scripsit quod quattuor libri Flor. Farn. Ven. Bess. pro σημαίνω praebent. iam vide aliorum quorundam editorum perexiguas vulgatae scripturae mutationes ut Schuetzii (prodiit eius editio Halae Sax. a. 1811) qui v. 2 infelicissimam Valckenarii coniecturam μῆχος pro sanissima librorum scriptura μῆκος reposuit, v. 7 tamquam interpolatum uncis inclusit et v. 10. 11. 26 Victorianas scripturas quas modo commemoravi amplexus est, vel Blomfieldii****) qui in v. 2. 7. 10. 11 similiter atque Schuetzius versatus v. 26 scripturam σημαίνω et v. 14 pro librorum scriptura ἐμήν· φόβος γάρ paulo audaciorem Aurati coniecturam ἐμοὶ φόβος τότ' imitando exprimens ἐμοὶ φόβος γάρ in textum recepit. tum vero secuta est a. 1824 editio Wellaueri qui quae fuit in eo artis criticae incredibilis neglegentia et ἀφυΐα, ne transversum quidem unguem ut aiunt a vulgato prologi textu discessit adeoque insulsissimum et durissimum versum 7 patienti stomacho concoxit. eundem fere textum (si quidem solum prologum spectamus) etiam Franzii editio (1846) retinuit, nisi quod v. 3 ἀνέκαθεν pro ἄγκαθεν praebet. quid multa? ne Hermannus quidem et qui post eum in Agamemnone Aeschylea versati sunt ut Karstenus (ed. a. 1855) Schneidewinus (1856) Weilius (1858) Engerus (1863) Dindorfius (1865) alii ullo modo rem absolvisse censendi sunt. en habes potiores horum quoque criticorum conatus. ac primum quidem ipse Hermannus v. 14 τί μήν; pro ἐμήν· scripsit, v. 25 h. e. interiectiones ἰοῦ ἰοῦ ante v. 22 inseruit et v. 26 σημανῶ reposuit. Karstenus operosiora molitus v. 1 puncto post vocem πόνων posito v. 2 ἐγκοιμώμενος pro ἣν κοιμώμενος scripsit, v. 7 omnino e textu expunxit, v. 10. 11 κρατεῖν — ἐλπίζει coniecit, v. 13. 14 ἐμήν — εὐνήν voces permutavit, v. 15 τὸ μέν — ὀκνῶ pro τὸ μή — ὕπνῳ commentus est, v. 32 εὖ πεσόντ' ἀθρήσομαι pro εὖ πεσόντα θήσομαι dubitanter commendavit neque tamen in textum recepit. Schneidewinus porro v. 3 στέγης pro librorum scriptura στέγαις excogitavit, v. 14 secundum Hermannum τί μήν; et v. 26 σημανῶ cum eodem Hermanno scripsit.*****) Weilius v. 3 στέγης cum Schneidewino reposuit, de v. 7 valde fluctuans primum δυσμαῖς pro ἀστέρας in textum recepit, tum eundem versum ‚abhorrentem a concionis principumque translatione

---

*) Aeschyli Agamemnon. ex fide codicum edidit, scholia subiecit, commentario instruxit I. A. C. van Heusde. Hagae Comitis. 1864.

**) The tragedies of Aeschylus. re-edited. with an english commentary. by F. A. Paley. third edition. London. 1870.

***) Haec est una ex quattuor editionibus principibus Aeschyli et quidem praestantissima. integer eius titulus graece et latine sic habet: *Αἰσχύλου τραγῳδίαι ζ, Προμηθεὺς δεσμώτης, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Πέρσαι, Ἀγαμέμνων, Χοηφόροι, Εὐμενίδες, Ἱκέτιδες. Σχόλια εἰς τὰς αὐτὰς τραγῳδίας.* Aeschyli tragoediae VII. quae cum omnes multo quam antea castigatiores eduntur tum vero una quae mutila et decurtata prius erat, integra nunc profertur. Scholia in easdem plurimis in locis locupletata et in paene infinitis emendata. Petri Victorii cura et diligentia. ex officina Henrici Stephani. MDLVII.

****) Haec editio prodiit Cantabr. a. 1818, paulo post altera edit. auctior Lipsiae a. 1823.

*****) Vehementer improbanda est opinio eiusdem Schneidewini viri ceteroqui ingeniosissimi qui Aeschylo *ἠθοποιΐας* ut supra diximus peritissimo gravem iniuriam fecit cum excubitorem illum contenderet induci a poeta in prologo rustice aspere horride obscure dure contorte ridicule et fuse loquentem. vide eius adn. et append. ubi talia epitheta contra bonum homunculum cumulantur: breit, kraus, witzelnd, vornehme Mysteriensprache [geheimnissvoll mysteriöse Rede], derb, komische Färbung, ungelenk, umständlich, schwerfällig. at horum nihil fere verum esse facile intellegemus remotis scilicet e textu librariorum erroribus et commentis.

multisque vitiis laborantem' eiciendum esse concessit rursusque eiecta glossa ἀςτέρας scribendum esse μῆνας θ' collato Homerico τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦδ' ἱςταμένοιο sibi persuasit, tum v. 12 νυκτίπαχνον — ἔχων pro νυκτίπλαγκτον — ἔχω commendavit, v. 14 ἐμοὶ φόβος γάρ (postea φόβος γὰρ αἰέν deleto ἐμήν sec. Wunderum), v. 19 δεςποτουμένου secundum Duebneri aliorumque criticorum emendationem pro librorum scriptura διαπονουμένου probavit, v. 25 interiectiones ἰοῦ ἰοῦ mutata priore sententia recte Hermannum ante v. 22 retraxisse videri existimavit, denique v. 32 Keckii coniecturam εὖ πεςόντ' αἰςθήςομαι laudavit. Engerus v. 7 pro interpolato habuit, v. 14 ἐμήν inutile et alieno loco positum ferri vix posse sed emendationis rationem incertam esse putavit eodemque versu codicum scripturam ἀνθ' ὕπνου suspectavit, v. 19 δεςποτουμένου, v. 26 cημανῶ (contra in germ. edit. cημαίνω) scripsit, denique etiam v. 32 in suspicionem vocavit quem non videri ab Aeschylo profectum esse contendit, tum eundem versum etiam corruptum et ex εὖ πεςόνθ' ἡςθήςομαι*) factum esse existimavit. Dindorfius quem scholiorum editione egregie de Aeschylo meruisse constat, v. 2 μῆχος scribit, v. 7 pro interpolato habet, v. 14 pro librorum scriptura ἐμήν miro sane acumine λύζω temptat et v. 26 cημανῶ commendat, quas quidem textus mutationes nuper in lexico Aeschyleo a se edito (1876) iteravit.

Restat denique recensio Keckii qui primus et legem illam compositionis antitheticae a Weilio inventam huic prologo adhibuit (ipse inventor nondum eam noverat cum Agamemnonem ederet) et textum compluribus locis tum librorum mss. ope tum suapte et aliorum criticorum coniectura immutavit. loci vero hi sunt: v. 2 cτέγηc cum Schneidewino scripsit, in medio v. 7 quem genuinum esse fidenter contendit, lacunam indagasse sibi visus est eamque sic explevit:

ἀςτέρας [ἀκμῆτας, οἵτε cημαίνους' ἀεὶ
μῆνάς θ'] ὅταν φθίνωςιν ἀντολάς τ' ἐτῶν

nimirum speciosum inventum τ' ἐτῶν pro librorum scriptura τε τῶν substituens ac praeterea πυρςούς pro ἀςτέρας cunctanter suspicans, v. 12 ταύτην cum Blomfieldio pro librorum scriptura εὖτ' ἄν, v. 14 ἐμοί· φόβος γάρ reposuit, v. 15 πόνον pro ὕπνῳ excogitavit, v. 17 ἐκτέμνων pro altera librorum scriptura ἐντέμνων cum Ahrensio probavit, v. 19 δεςποτουμένου scripsit, v. 25 interiectiones ἰοῦ ἰοῦ ante v. 22 cum Hermanno inseruit, v. 24 verba τῆςδε cυμφορᾶς χάριν novae sententiae initium esse eamque tali versu deperdito: παιᾶν' ἰακχεῖν δεῖ τάχιςτ' ἰὼ ἰώ complendam esse suspicatur, v. 32 εὖ πεςόντ' αἰςθήςομαι, v. 33 τῆςδ' ἐμοί pro τῆςδέ μοι coniecit, denique v. 49 αὐδῶν οὐ ex Bess. pro reliquorum librorum scriptura αὐδῶ κοὐ in textum recepit vocem ἑκών cum verbo λήθομαι artissime iungens.

Recentissimos vero editores Heusdium et Paleium rursus ad vulgatum textum illum nescio quo pacto relapsos esse supra iam monuimus nisi quod in editione Paleii**) v. 7 pro interpolato habitus uncisque inclusus est.

Reliquum est ut nonnullas criticorum coniecturas addam tum in diariis litt.***) tum in commentationibus peculiaribus****) de singulis prologi locis propositas quas fere omnes in latina

*) Fuit cum idem Engerus etiam coniecturam Keckii *αἰσϑήσομαι* probaret: sed iterum fluctuans et prioris suspicionis suae memoriam redintegrans totum versum obelo notavit. cf. append. crit. ad edit. germ. (1874) p. 163.

**) Praeterea ne quid celem idem Paleius scripturam vulgatam v. 14 *ἐμήν* dubitanter suspectat nescio cuius Donaldsoni commentum *ἔρρει* commemorans deque scriptura illa haec dicens: Klausen and Peile find a peculiar force in *ἐμὴν* placed at the end of the first clause, as if it were directly suggestive of *ἐμοὶ* to be supplied with *παραστατεῖ*. This appears a gratuitous supposition; nor is it easy to approve Hermann's alteration, *τί μήν; φόβος γάρ κτλ.* It is not unlikely that some finite verb has been lost, in place of which *ἐμὴν* was wrongly written, from its resemblance to *εὐνὴν* next above. Compare however inf. 1197. Eum. 548. Suppl. 360.

***) H. L. Ahrens, Studien zum Agamemnon des Aeschylus. Philol. suppl. I p. 213—304, 479—640. A. Meineke, Kritische Bemerkungen zu Aeschylus, Philol. XIX p. 193—214 (cf. etiam vol. XIII p. 516).

****) Huc potissimum spectat Wunderi de Aeschyli Agamemnone dissertatio critica et exegetica. Grimae 1857 et Francisci Beckmanni: Bemerkungen zum Prolog und zur Parodos des Aeschylischen Agamemnon. Braunsberg. 1867.

Engeri editione commemoratas habes. veluti Meinekius v. 11 ἀνδρόλημον pro librorum scriptura ἀνδρόβουλον collata Hesychii glossa ἀνδρολήμην· ἀνδρὸς ἔχουσα λῆμα suspicatus est, Weckleinius*) v. 14 ἀντίπνους pro librorum scriptura ἀνθ' ὕπνου temptavit, Mauricius Schmidtius eodem versu μάτην pro librorum scriptura ἐμήν et v. 15 ὑπνῶ pro ὕπνῳ coniecit, porro Ahrensius v. 17 ἐκτέμνων e cod. Flor. et Ven. pro reliquorum librorum scriptura ἐντέμνων ascivit, Maehlyus**) v. 32 εὖ πεσόντ' εὖ θήσομαι pro librorum scriptura εὖ πεσόντα θήσομαι commentus est, denique Herwerdenus***) ad v. 10 Hesychianam glossam quam modo commemoravi, cum Meinekio et Hesychii editore Schmidtio adhibens ἀνδρόλημον pro ἀνδρόβουλον commendavit, v. 25 interiectiones ἰοῦ ἰοῦ ante v. 22 inseruit et quod maxime mirere, etiam de ultimorum prologi versuum (36—39) transpositione cogitavit eosque ante v. 20 collocandos esse sibi credo soli persuasit — nam aliis vereor ut umquam persuasurus sit. —

Caput II.

Adnotationes criticae de locis emendandis.

Postquam primo capite varios criticorum conatus praemisso vulgato prologi textu percensui, nunc secundo capite missis omnibus ambagibus quid ipse de emendandis singulis locis sentiam, breviter explicabo.

v. 1 7. horum versuum ultimus (ut hinc ordiar) dubitari nequit quin sit interpolatus. in quo quot et quam gravia menda insint, accurate expositum ab Engero. qui primum inepte et perverse ἄστρων et ἀστέρας hic opponi, tum ipsum φθίνειν de stellis evanescentibus, non occidentibus dici posse, denique articulum τῶν vi demonstrativa ita collocatum offensioni esse verissime iudicavit.****) atqui etiam duo qui praecedunt versus 5. 6 item ad astrologiam spectantes dudum suspecti mihi videntur. ac potissimum movet suspicionem v. 6 λαμπροὺς δυνάστας ἐμπρέποντας αἰθέρι propter nimium orationis ornatum et fucum a simplicissima excubitoris indole totoque prologi colore prorsus alienum. ceterum hunc versum Aeschylo haud indignum a docto nescio quo interpolatore fortasse ex alia deperdita fabula sumptum et hic adscriptum postea ut fit in textum irrepsisse facilis nec fallax coniectura est. resectis igitur tribus versibus restant quattuor genuini, qui tamen et explicatione egent nec ab omni labe liberi sunt. primum v. 2 genetivus φρουρᾶς ἐτείας ex voce πόνων pendet ut v. 1174 huius fabulae ὀρθομαντείας πόνος. μῆκος autem tantum abest ut langueat otiosumque sit, ut explicationis causa necessario additum videatur adiectivo ἐτείας quod duplicem significationem habet respondetque nostro jährig et jährlich.

---

*) Studien zu Aeschylus. Von N. Wecklein. Berlin 1872 p. 20 sq.

**) Vide annales philol. Fleckeiseni vol. XCV p. 427. similis farinae sunt etiam reliquae coniecturae ad prologum spectantes quas idem Maehlyus ibi proposuit veluti v. 7 τ' ἀθρῶ pro τε τῶν, v. 12 κοίτην pro εὖτ' ἄν, v. 15 ὡς — ἐμέ pro τὸ — ὕπνῳ.

***) Emendationes Aeschyleae. scripsit H. van Herwerden. commentatio ex supplementis annalium philologicorum seorsum expressa. Lipsiae 1878 p. 132.

****) Vide etiam Paleium de interpolatione huius versus sic probabiliter disputantem p. 332 in adn.: this verse has with reason been suspected as spurious, since ἀστέρας is equally awkward after ἄστρων (4) whether regarded as a synonym or with an intended difference. (Schol. on Il. v. 5, ἀστήρ ἐστιν ἓν σῶμα—ἄστρον δὲ, τὸ ἐκ πολλῶν ἀστέρων συγκείμενον.) It was probably added by some one who thought λαμπροὺς δυνάστας (sun and moon) too bold a phrase for the heavenly bodies, the King and Queen of the sky. It is an important evidence, in weighing the question of authenticity, that the poet does not appear to have admitted a dactyl in the first foot of a senarius except in the case of a proper name. See on Cho. 208. However, the later editors retain the verse, and Hermann renders ἀντολάς τε τῶν et aliorum ortus. See on Prom. 242, and compare ibid. 462—6.

etenim longitudinem non repetitionem annuae vigiliae hic significari etiam vocula ἥν sc. φρουράν (i. e. seit, während welcher) indicat. quocirca μῆκος pro accusativo quem vocant explicativo habeo verbaque illa sic verterim: vigiliae quae est longitudine annua. contra alii interpretes accusativum temporis hic statuentes eumque cum verbo αἰτῶ parum commode iungentes vertunt: per annuae vigiliae longitudinem. deinde v. 3 ἄγκαθεν duplici modo explicatur ab interpretibus qui vel in (ex) ulnis i. e. ulnis nixus (secundum glossam Farn. ἐν ἀγκάλαις) vel desuper vertunt uti scholiasta Mediceus haec dicens: τὸ ἄγκαθεν κατὰ συγκοπὴν ἀντὶ τοῦ ἀνέκαθεν, τουτέστιν ἄνωθεν [ἐξ ἀρχῆς?]. similiterque Hesychius et grammat. in Bekkeri Anecd. p. 337, 25. equidem utramque explicationem falsam esse puto, cum nec ulnarum commemoratio nec adverbii desuper notio ad verba κυνὸς δίκην ullo modo accommodari queat. veram explicationem vocis ἄγκαθεν (pro qua fortasse ἄγκοθεν scribendum) solus quod sciam Beckmannus proposuit l. c. p. 13 sq. qui adverbium ἄγκαθεν cum vocibus ἀγκάς, ἀγκή, ἀγκάλη, ἀγκών, ἄγκος componens illud hoc loco significare dixit ex angulo idque probavit aliquot locis veluti Choeph. 581 πόντιαι ἀγκάλαι, Sophoclis Ai. 805 ἑσπέρους ἀγκῶνας, Xenoph. An. 4, 1, 7 ἄγκεσί τε καὶ μυχοῖς τῶν ὀρέων simul afferens locum Aeschyleum nostro simillimum Choeph. 441 μυχῷ ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκην. nunc vide quam apte custos ille in angulo quodam domus regiae Atridarum (στέγαις Ἀτρειδῶν pro ἐν στέγαις) nocturnas excubias canis vigilis instar agere dicatur. quaeritur denique quid sibi velit v. 4 perfectum κάτοιδα. putandusne est excubitor pueriliter ac tironum more loqui se perdidicisse vel pernovisse dicens stellarum coetum et cursum? an potius hoc eum dicere probabile se ex angulo vel cubili suo per longum tempus vigiliae suae observasse et contemplatum esse illas? equidem non dubito quin Aeschylus scripserit κατεῖδον h. e. contemplatus sum.

v. 8—11. participium ἐλπίζον v. 11 forti epitheto ἀνδρόβουλον additum haud mediocriter frigere unus quisque credo mecum sentit. itaque malim infinitivum ἐλπίζειν hic reponere. sententia est: sic sperare (nos) iubet masculus mulieris animus. quam quidem spem ad excidium Troiae (τὸ τὴν Τροίαν ἁλῶναι) spectare e versibus 9. 10 qui praecedunt verbisque illis ἐκ Τροίας φάτιν ἁλώσιμόν τε βάξιν manifestum fit. quae non sine acerbitate ab excubitore in imperiosam Clytaemnestram dicuntur, tamquam sine illius imperio ne sperare quidem quicquam liceat. ceterum permutationem formarum participii et infinitivi h. e. terminationum ων, ον et ειν in libris mss. frequentissimam esse constat errorque hic eo proclivior fuit tum propter insolitam infinitivi ἐλπίζειν collocationem tum propter vicinitatem epitheti ἀνδρόβουλον.

v. 12—19. in his octo versibus quinque vitia inesse quis credat? videamus singula. primum v. 12 pro particulis εὖτ' ἂν δέ scripserim αὖ τήνδε, quae vocula (αὖ) hoc loco in tanta custodis impatientia aptissima saepenumero obscurari in libris mss. solet. contra εὖτ' ἂν ut dicam quod sentio, nimis quaesitum et poeticum ideoque alienum a simplici et nativo excubitoris sermone mihi videtur. ac praeterea istud εὖτ' ἂν propter consimilem particulam ὅταν quae paulo post v. 16 sequitur, valde suspectum ferri nullo modo potest vel propterea quod tali quidem protasi prorsus hic deest apodosis omninoque balbutire ne hominem quidem de plebe in tragoedia decet. deinde v. 14 suspicionem movet librorum scriptura ἐμήν, in cuius locum substituenda mihi videtur interiectio οἴμοι qua dolor et indignatio excubitoris longae vigiliae molestiis defatigati optime exprimitur. qualis interiectio mediae orationi nonnumquam inseritur veluti huius fabulae v. 1225 οἰκουρὸν, οἴμοι, τῷ μολόντι δεσπότῃ. nunc dicendum de ter repetita in quattuor versibus voce ὕπνος v. 14. 15. 17, in qua repetitione iure offenderunt critici nec dubium esse ullo modo potest quo versu illud vocabulum expungendum sit. etenim v. 15 ὕπνῳ prorsus inutiliter verbis βλέφαρα συμβαλεῖν addi manifestum est, praesertim cum v. 14 praecedat ἀνθ' ὕπνου. ante multos annos conieci pro ὕπνῳ scribendum esse ὕπαρ i. e. inter vigilandum. quam coniecturam etiamnunc tueor. rarissimum vocabulum ὕπαρ hic adverbialiter usurpatum est plane ut Prom. 486 κἄκρινα πρῶτος ἐξ ὀνειράτων ἃ χρὴ ὕπαρ γενέσθαι. quem quidem adverbialem huius vocabuli usum ignorans librarius ex alio loco Aeschyleo Sept.

adv. Theb. 3 οἴακα νωμῶν βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ vel ex phrasi Homerica ὕπνον ἐπὶ βλεφάροισι βάλε Odyss. α 364 tritissimum ὕπνῳ pro ὕπαρ imprudenter arripuit.

v. 17. libri fluctuant inter scripturam ἐντέμνων et ἐκτέμνων. sed utramque falsam et perversam esse patet. quis enim cum de cantu loquitur ut hoc loco, metaphora ab herbariis qui ῥιζοτόμοι vocantur sumpta utatur? ne multa — hic quoque simplicissimus et planissimus sermo bono excubitori restituendus scribendumque ni fallor ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐκπονῶν ἄκος ut Suppl. 367 ξυνῇ μελέσθω λαὸς ἐκπονεῖν ἄκη. iam vides quam commode excubitor labores suos identidem conquerens etiam tristem cantum suum tamquam remedium somni quasi elaborare dicatur. restat denique quintus locus item labe ut ante dixi deformis et omnium criticorum naufragio infamis. ac v. 19 scripturae vulgatae διαπονουμένου reapse aliquid labis adhaesisse merito critici consentiunt coniecturam δεσποτουμένου certatim probantes. quae mihi quidem speciosior quam verior videtur, cum locus iste: κλάω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων | οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα δεσποτουμένου (sic enim critici illi scribunt verbum δεσποτουμένου ad malam domus regiae administrationem referentes) apertissime pugnet cum alio eiusdem prologi loco v. 32 τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι, ubi eorundem dominorum res bene evenisse dicuntur. itaque ad malam potius famam domus regiae versum illum rettulerim scripserimque διαβοωμένου pro mendosa librorum scriptura διαπονουμένου. quod mendum proclive sane fuit librario committere nimirum ad proximi versus vocem πόνων oculis aberranti. participium διαβοώμενος ut hoc quoque moneam, vox media est idemque significat quod περιβόητος i. e. decantatus, nobilitatus, infamatus.

v. 22—25. horum versuum unus adeo triplici mendo corruptus est, versum dico 24. primum offensioni est συμφορᾶς qua voce laetum eventum hic significari, contra paulo ante v. 18 κλάω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων tristem casum deplorari nonne mirum videtur? omninoque συμφορᾶς χάριν verba valde similia mihi videntur glossemati quod genuinam scripturam scilicet δωρεᾶς χαράν expulisse probabile est. δωρεᾶς χαράν per appositionem verbis χορῶν κατάστασιν paulo audacius additum est. quae quidem doni gaudiique notio optime quadrat in excubitorem alioquin bonum homunculum nec tamen commodi sui plane oblitum eodemque spectat etiam v. 33 τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας. denique suspectum mihi videtur eodem versu πολλῶν tum quia debile additamentum est vocis χορῶν quo facile caremus, tum quia pro πιφαύσκων i. e. ostendens desideratur aliud participium tam ad verba χορῶν κατάστασιν quam ad verba coniciendo a nobis instaurata δωρεᾶς χαράν accommodatum. quid plura? in scriptura πολλῶν vix dubium est quin lateat participium πορών i. e. praebens, exhibens, parans huic loco pariter conveniens atque Prom. 617 οὔκουν πόροις ἂν τήνδε δωρεὰν ἐμοί. ceterum coniectura nostra χαράν pro qua possis etiam dativum χαρᾷ substituere, optime confirmatur v. 25 interiectione quae statim sequitur ἰοῦ ἰοῦ qua laetitiam suam exprimit excubitor. sic enim Suidas vocem illam explicans: ἰοῦ ἰοῦ· τὸ ἰοῦ ἐπὶ χαρᾶς. artissime igitur cohaerere videmus cum praegresso versu interiectiones illas quas Hermannus aliique critici perperam ante v. 22, ubi primum ignis conspicitur, transponere voluerunt. quamquam ipse Hermannus optime intellexit nunc demum excubitorem plane quantum hoc gaudii sit, persentiscere eoque in voces illas erumpere. scholiasta vero cum ἀνακραγεῖν dicit, verba ὦ χαῖρε intellegit, ut recte adnotavit Engerus. hinc patet quantopere erraverit Keckius interiectiones ἰοῦ ἰοῦ cum Hermanno ante v. 22 praepostere transponens et integrum versum ante v. 26 excidisse inutiliter suspicans.

v. 26—33. reliquum prologi textum inde a v. 26 satis emendatum videri haud negaverim. nec tamen tantum largiar ut omnes omnino naevos abesse ab eo contendam. primum male me habet v. 27. 28 duplex dativus δόμοις — τῇδε λαμπάδι incommode sane cum verbo ἐπορθιάζειν iungendus. nec vero difficultatem solvisse putandus est Keckius δόμοις cum participio ἐπαντείλασαν artificiosius coagmentans reginamque e toro suo mane surgentem tamquam cum sole domui

oriente hic comparari existimans. quales verborum flores et artificia ab hoc populari et quotidiano custodis sermone prorsus aliena esse identidem iam monuimus. sunt denique qui δόμοις idem esse arbitrentur atque ἐν δόμοις nec sentiant quam languide tale quid hoc loco addatur. equidem tritissimum vocabulum δόμοις librario fortasse ad δόμων v. 25 vel ad v. 1078 huius fabulae ποίαν Ἐρινὺν τήνδε δώμασιν κέλει ἐπορθιάζειν respicienti deberi conicio scripserimque νόμῳ. quae coniectura et insigni alius fabulae loco Sept. adv. Theb. v. 268 sq. ὀλολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιάνισον Ἑλληνικὸν νόμισμα θυστάδος βοῆς et huius ipsius fabulae v. 572 καὶ γυναικείῳ νόμῳ confirmatur. apponam insignem locum illum (565—577 ed. Keckii) quo Clytaemnestra ad sermonem excubitoris accurate respicit ut eo tamquam commentario universum prologi argumentum textumque ipsum bene illustrari haud diffiteare:

Ἀνωλόλυξα μὲν πάλαι χαρᾶς ὕπο,
ὅτ' ἦλθ' ὁ πρῶτος νύχιος ἄγγελος πυρός,
φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν.
καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε, „φρυκτωρῶν δία
πεισθεῖσα Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς;
ἦ κάρτα πρὸς γυναικὸς αἴρεσθαι κέαρ."
λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὖσ' ἐφαινόμην.
ὅμως δ' ἔθυον, καὶ γυναικείῳ νόμῳ
ὀλολυγμὸς ἄλλος ἄλλοθεν κατὰ πτόλιν
ἔλασκον εὐφημοῦντες ἐν θεῶν ἕδραις,
θυηφάγον κοιμῶντες εὐώδη φλόγα.
καὶ νῦν τὰ μάσσω μὲν τί δεῖ σ' ἐμοὶ λέγειν;
ἄνακτος αὐτοῦ πάντα πεύσομαι λόγον.

ab hoc loco nescio an etiam alius prologi versus lucem accipiat scilicet v. 32 τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι, ubi pro θήσομαι una litterula mutata scribendum esse conicio θύσομαι, plane ut est eo quem supra attuli versu 572 ὅμως δ' ἔθυον. excubitor vero bis usus est media forma v. 31. 32 χορεύσομαι — θύσομαι quo significare vult se ipsum et saltando et sacrificando publicae ovationis initium facturum esse. simile librarii mendum feliciter sustulit Weilius Sept. adv. Theb. v. 260, ubi pro librorum scriptura θήσειν reposuit θύσειν sc. τροπαῖα i. e. ἐπινίκια sive νικητήρια, de quo loco accuratius disputavimus l. c. p. 21. θύειν autem cum accusativo iungi veluti apud Xenophontem διαβατήρια i. e. ἱερά notissimum est. coniecturae vero Karsteni Engeri Keckiique ἀθρήσομαι — ἡσθήσομαι — αἰσθήσομαι vel propterea prorsus reiciendae sunt quod futurum tempus horum verborum nequaquam convenit in excubitorem laetitia praesentis dominorum fortunae cummaxime correptum. vides custodem φιλοδέσποτον coniecturae nostrae θύσομαι beneficio fieri hominem gratum pium et honestum qui amabilissime vel de suo sacrificare velit ob fortunam dominorum suorum, contra Schneidewinus aliique interpretes pinguissimam scholiastae interpretationem θήσομαι· οἰκειώσομαι probantes et vocem εὖ verbo θήσομαι perperam addentes vel potius mente supplentes hominem sibi finxerunt sordidum et suo tantum commodo ac lucro servientem.

v. 36—39. etiam in his ultimis prologi versibus aliquid difficultatis et labis inesse persuasissimum mihi est. quod cum dico, haud sane cogito de ambiguitate et obscuritate quadam proverbialis dicti v. 36 βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβηκεν quod vel de corruptis nummo cui bos signum apud veteres Athenienses fuerit,*) vel de constrictis boia sive camo qui damnatorum ori

*) Haec proverbii explicatio exstat tum apud Plutarchum in Theseo c. 25 *ἔκοψε δὲ καὶ νόμισμα βοῦν ἐγχαράξας ἢ διὰ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον ἢ διὰ τὸν Μίνω στρατηγὸν ἢ πρὸς γεωργίαν τοὺς πολίτας παρακαλῶν* tum apud lexicographos Suidam et Hesychium *διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων νόμισμα βοῦν ἔχειν ἐγκεχαραγμένην* quibuscum comparandus Pollux IX, 6, 60 *τὸ παλαιὸν τοῦτο ἦν Ἀθηναίοις νόμισμα καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον.* eodem proverbio usi sunt etiam Theognis 815 *βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσῃ κρατερῷ ποδὶ λὰξ ἐπιβαίνων ἴσχει κωτίλλειν καίπερ ἐπιστάμενον* et Strattis apud Hesychium (cf. Meinek. Com. 2, 790) *βοῦς ἐπιβαίνει μέγας,* quibuscum componere possis valde similia dicta veluti Menandri in Piscatoribus (Athen. XII p. 549 D) *παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα,* tum Sophoclis Oed. C. 1051 *ὧν καὶ χρυσέα κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακεν,* denique ipsius Aeschyli frag. 378 *ἀλλ' ἐστὶ κἀμοὶ κλῂς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ.*

applicatus fuerit,*) intellegi posse doctissimi interpretes recte ad hunc locum adnotaverunt. atque harum explicationum utramlibet sequare, tantum quidem certum est usurpari hoc proverbium de iis qui prae metu tacent. at vero multo magis in obscuro sunt ultima custodis verba 38. 39 ὡς ἑκὼν ἐγὼ | μαθοῦσιν αὐδῶ, κοὐ μαθοῦσι λήθομαι, quibus Schneidewinus arcanam quandam nescio cuius mystagogi doctrinam et μυστικὴν σιωπήν i. e. ἄρρητα Pythagoreorum eorumque μαθηματικούς et ἐσωτερικούς sive μεμυημένους significari sibi persuasit nimirum ἑκών cum λήθομαι artissime iungens et τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, ὡς ἑκὼν τοῖς οὐ μαθοῦσι λήθομαι sententiam primariam esse, illa vero verba μαθοῦσιν αὐδῶ ad silendi notionem magis efferendam adiecta videri dicens. contra Engerus tam artificiosa interpretatione opus esse negans sic verba illa explicavit: ‚hoc dicit excubitor: reliqua taceo, haec enim sunt arcana quae divulgare non licet: nam is ego sum qui lubens quidem cum coram sumus servi eiusmodi res garriam, sed ut decet servum bonum, nihil efferam et coram aliis etiam id quod sciam nesciam.' sed haec quoque si quid sapio, quodam modo claudicare mihi videntur. nam tale quid si reapse diceret custos, ipse consulto se garrulitatis accusaret ipseque ineptissime sibi contra diceret verbis illis τὰ δ' ἄλλα σιγῶ κτλ. — ὡς ἑκὼν ἐγὼ μαθοῦσιν αὐδῶ. quomodo enim quaeso is qui tacet et cuius ori velut vincula imposita sunt, lubens garrire dici possit? quam quidem difficultatem et repugnantiam ita removere conatus est Keckius ut sententiam Schneidewini amplecteretur vocem ἑκών cum verbo λήθομαι (non cum αὐδῶ) iungens duosque similes locos Herodoteos cum eodem Schneidewino afferens 4, 43 χρήματα ἀνὴρ Σάμιος κατέσχε, τοῦ ἐπιστάμενος τὸ οὔνομα ἑκὼν ἐπιλήθομαι et 3, 147 τούτων μὲν ἑκὼν ἐπελήθετο ac praeterea pro αὐδῶ κοὐ e cod. Bess. αὐδῶν οὐ asciscens. quae interpretandi emendandique ratio vereor ut cuiquam placitura sit tum propter insolentem vel potius perversam vocis ἑκών collocationem tum quia ne sic quidem repugnantia illa (quae inest in verbis σιγῶ — αὐδῶν) prorsus removetur. quae cum ita sint, mihi quidem pristina Aeschyli manus sic facillime et lenissime instauranda videtur: ὡς ἄκων ἐγὼ | μαθοῦσιν αὐδῶ κοὐ μαθοῦσι λήθομαι. etenim hoc dicit prudens taciturnus et fidus custos se de occulta re illa nempe de illicito reginae amore cum gnaris invitum loqui, coram ignaris vero se illud plane oblivisci, quod idem est hoc loco atque reticere. —

Caput III.

De compositione antithetica.

De antithetica prologi compositione ipse inventor legis illius Aeschyleae Weilius haec dicit in Addendis ad Eumenides p. 126: ‚exordium versuum septem vel potius sex et clausula quaternaria circumdant versus bis quaternos denos (4, 8, 2. 4, 8, 2) pausa quae post v. 21 intercedit, distinctos. quos priore loco [custos] exspectaverat ignes, altero salutat: vigiliarum taediis neniisque laetos cantus laborumque mercedem opponit: voto utrumque locum terminat.' a qua quidem prologi discriptione paululum differt Keckius eo quod concinnitati magis consulens duosque versus (post v. 6 ἀκμῆτας, οἴτε σημαίνουσ' ἀεὶ | μῆνάς θ' et post v. 25 παιᾶν' ἰακχεῖν δεῖ τάχιστ' ἰὼ ἰώ) ipse affingens et inserens exordium octo versibus constare totumque prologum compositum esse voluit secundum hanc concinniorem sane formulam 8. 4, 8, 2: 4, 8, 2. 4. ego vero ne in tali quidem concinnitate acquiescens summamque artem in Aeschylo quaerens atque expetens prologum nostrum ad hanc elegantissimam eandemque simplicissimam et evidentissimam

*) Sic dictum illud explicavit Lobeckius in Aglaophami vol. I p. 36 quem secutus est Keckius.

formulam 4 + 4. 8. 2 = 4. 8. 2 + 4 revocavi. quo enim simplicior et evidentior discriptio longiorum systematum in singulas periodos articulosve est (ut hic repetam quod alibi dixi l. c. p. 17), eo profecto plus commendationis omnis compositio antithetica habere mihi videtur. en prologum nostrum eximia arte secundum rationem antitheticam compositum! qui quidem omnino XXXVI versibus constat. tres enim versus exordii 5. 6. 7 tamquam spurios et ab hoc simplici et nativo excubitoris sermone alienos eosdemque multis vitiis depravatos prorsus e textu expunximus: quam coniecturam supra capite II a nobis propositam etiam compositione antithetica confirmari impense laetamur. nunc dicendum de v. 25 qui item adversari quodam modo compositioni antitheticae videtur. sed videtur tantum. nam interiectiones illae ἰοῦ ἰοῦ quibus tot critici praceunte Hermanno fraudem sibi fieri passi sunt, nec loco suo movendae et integri trimetri ni fallor vicem implent accedente ipsius sententiae quae in eiusmodi exclamatione inest vi ac pondere, id quod etiam Weilius sanissimo iudicio perspexit annal. philol .Fleckeiseni vol. LXXXIX p. 292 paulo longiorem pausam post illas interiectiones statuens qua verborum inopiam exaequari syllabarumque detrimentum quasi resarciri existimat.*) haec si recte disputavi, totus prologus XXXVI versuum numerum ut ante dixi complectitur. qui quidem versuum numerus bifariam in duo aequabilia systemata XVIII versuum dividitur. utrumque vero systema has item aequabiles periodos (sive articulos vel cola dicere mavis) continet: 4. 8. 2 = 4. 8. 2. huc accedit utrimque quaternio h. e. exordium quattuor versuum et clausula quaternaria, ut ad perfectam aequabilitatem et vere symmetricam compositionem totius prologi nihil omnino deesse videatur. ac de externa quidem compositionis antitheticae specie hactenus.

Iam quaeritur num antithetica prologi compositio etiam argumento ipsaque elocutione i. e. et rerum et verborum vel similitudine vel oppositione comprobetur responsioque tam perspicua et accurata sit ut similiter atque in strophis et antistrophis canticorum vox voci sonus sono opponatur totusque prologus alternis vicibus aequabiliter decurrens ad carminis amoebaei similitudinem prope accedat. ac talis quidem et responsionis et oppositionis vestigia tam manifesta in hoc prologo insunt ut paulo attentius legenti statim incurrant in oculos veluti initio ac fine prioris systematis 1 ἀπαλλαγὴν πόνων = 20 ἀπαλλαγὴ πόνων, tum in utroque systemate haec ἀμοιβαῖα: 20 γένοιτ' = 34 γένοιτο, qualis voti nuncupatio quod eodem utriusque systematis versu collocata est, cave illud mero casui tribuas. praeterea haec similitudine insignia sunt: 3 Ἀτρειδῶν = 27 Ἀγαμέμνονος, 8 λαμπάδος = 23 λαμπτήρ et 28 λαμπάδι, 9 ἐκ Τροίας = 29 Ἰλίου πόλις, 10 ἁλώσιμον = 30 ἑάλωκεν, 11 γυναικός = 26 γυναικί, 4 νυκτέρων et 12 νυκτίπλαγκτον = 22 νυκτός, 13 εὐνήν = 27 εὐνῆς, 15 συμβαλεῖν = 33 βαλούσης, 18 οἴκου = 35 οἴκων et 37 οἶκος, 21 εὐαγγέλου = 30 ἀγγέλλων et quae sunt horum similia. adde quorum paulo obscurior responsio ut 2 φρουρᾶς = 33 φρυκτωρίας, 9 αὐγήν = 24 φάος, 15 βεβαίως = 26 τορῶς, 20 εὐτυχής et 21 εὐαγγέλου = 28 εὐφημοῦντα, 32 εὖ πεσόντα et 34 εὐφιλῆ. huc spectant etiam similes formae quaedam et terminationes ut participiorum infinitivorum ususque pronominis demonstrativi 1 τῶνδε, 12 τήνδε (secundum nostram coniecturam αὖ τήνδε pro librorum scriptura εὖτ' ἂν δέ), 17 τόδ' et 18 τοῦδε, quibus locis respondere videtur idem pronomen in antistropha (20—36) item quater usurpatum 25 τῆσδε, 28 τῇδε, 33 τῆσδε et 35 τῇδε.

Reliquum est ut de iis locis dicatur qui et rerum et verborum oppositione maxime insignes sunt quales plurimi exstant in hoc prologo, cuius argumentum quale supra proposuimus enarratum illud a Weilio, omnino in contrariis et tristitiae et laetitiae sensibus excubitoris exprimendis versatur ideoque totum ut ita dicam antitheticum est. hinc patet quam probabilis artique nisi fal-

*) Vide etiam eiusdem Weilii praef. ad Choephoros p. VI, ubi haec dicit: ‚passim versibus trimetris interseruntur breviores quidam ordines quales sunt interiectiones φεῦ, ἰοῦ ἰοῦ, aliae. hi ad rationem antitheticam tantundem valent quantum trimetri integri uniusque versus locum obtinent.'

limur conveniens nostra emendandi ratio sit uti v. 14, ubi pro librorum scriptura ἐμήν feliciter indagasse nobis videmur οἴμοι, cui interiectioni dolorem tristitiamque significanti per ἀντίθεςιν respondet v. 25 in antistropha interiectio ἰοῦ ἰοῦ qua laetitiam suam hoc loco exprimere vult excubitor. huc spectat etiam ipsius laetitiae notio qualem v. 24 e corruptis librorum vestigiis cυμφορᾶς χάριν eruimus sat probabili opinor coniectura nostra δωρεᾶς χαράν, quibus vocibus in stropha opponitur tristitiae et lamentationis significatio v. 18 κλάω — cυμφορὰν cτένων. sed haec de compositionis antitheticae et responsione et oppositione sufficiant. quae omnia si quis forte curiosius quam fructuosius a nobis excogitata et conquisita esse dicat, eum reputare velim (quod alibi identidem iam dixi) ‚hac demum accuratissima tum universi argumenti tum singulorum dictorum responsione compositionem antitheticam omnino probabilem fieri, quae si ad solum numerum versuum externamque speciem spectaret, inutile et molestum Aeschyli inventum esset'

Caput IV.

Nova prologi recensio.

En accipe nunc novam prologi recensionem qualem ad compositionem antitheticam artemque Aeschyleam revocare pro virili parte conatus sum:

ΦΥΛΑΞ.

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων
φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
cτέγαις 'Ατρειδῶν ἄγκοθεν κυνὸς δίκην
ἄςτρων κατεῖδον νυκτέρων ὁμήγυριν.

Καὶ νῦν φυλάςςω λαμπάδος τὸ cύμβολον,
αὐγὴν πυρὸς φέρουςαν ἐκ Τροίας φάτιν
ἁλώςιμόν τε βάξιν· ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζειν κέαρ.

Αὖ τήνδε νυκτίπλαγκτον ἔνδροςόν τ' ἔχω
εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπιςκοπουμένην —
οἴμοι — φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραςτατεῖ,
τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα ςυμβαλεῖν ὕπαρ.
ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεςθαι δοκῶ,
ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐκπονῶν ἄκος,
κλάω τότ' οἴκου τοῦδε ςυμφορὰν ςτένων
οὐχ ὡς τὰ πρόςθ' ἄριςτα διαβοωμένου.

Νῦν δ' εὐτυχὴς γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων,
εὐαγγέλου φανέντος ὀρφναίου πυρός.

Ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτὸς ἡμερήςιον
φάος πιφαύςκων καὶ χορῶν κατάςταςιν
πορὼν ἐν Ἄργει τῇςδε δωρεᾶς χαράν.
ἰοῦ, ἰοῦ — —

'Αγαμέμνονος γυναικὶ ςημαίνω τορῶς
εὐνῆς ἐπαντείλαςαν ὡς τάχος νόμῳ
ὀλολυγμὸν εὐφημοῦντα τῇδε λαμπάδι
ἐπορθιάζειν, εἴπερ 'Ιλίου πόλις
ἑάλωκεν, ὡς ὁ φρυκτὸς ἀγγέλλων πρέπει·
αὐτός τ' ἔγωγε φροίμιον χορεύςομαι·
τὰ δεςποτῶν γὰρ εὖ πεςόντα θύςομαι
τρὶς ἓξ βαλούςης τῇςδέ μοι φρυκτωρίας.

Γένοιτο δ' οὖν μολόντος εὐφιλῆ χέρα
ἄνακτος οἴκων τῇδε βαςτάςαι χερί.

Τὰ δ' ἄλλα ςιγῶ· βοῦς ἐπὶ γλώςςῃ μέγας
βέβηκεν· οἶκος δ' αὐτός, εἰ φθογγὴν λάβοι,
ςαφέςτατ' ἂν λέξειεν· ὡς ἄκων ἐγὼ
μαθοῦςιν αὐδῶ κοὐ μαθοῦςι λήθομαι.

Iam vide quantum is quem proposuimus textus tam a vetere illo h. e. vulgato quam a recentissimo textu veluti Hermanni vel Dindorfii vel Weilii vel Keckii differat. huius enim prologi versus numero XXXVI secundum nostram recensionem et computationem (vulgo XXXIX versus numerantur) fere XIV locis manum nostram experti sunt. sunt autem potissimum hi: 3. 4. 8. 9.

11. 12. 14. 16. 21 (scilicet ter huic versui manum nostram adhibuimus) 24. 29. 35. sed hanc emendandi audaciam noli mirari (quod nuper l. c. p. 20 iam monui) sat modicam nobis videri prae eorum criticorum licentia an temeritate qui ubique interpolationes lacunas traiectiones in procinctu habentes maiora et operosiora moliri in Aeschylo haudquaquam verentur. quibus paulo fortioribus artis criticae remediis alioqui haud spernendis atque adeo nonnumquam necessariis hoc saltem prologo semel tantum (v. 5. 6. 7, ubi trium versuum contiguorum interpolationem indagavimus) locum dari potuisse vidimus. nam quae praeterea investigavimus glossemata, ea rarissime duarum triumve litterarum, numquam integri vocabuli ambitum superant. sunt vero haec: 11 ἐμήν, 12 ὕπνῳ, 14 ἐκτέμνων, 16 διαπονουμένου, 21 πολλῶν — cυμφορᾶc, 24 δόμοιc.

Utcumque est, graviorum corruptelarum ad integros versus Aeschyleos pertinentium vestigia in hoc quidem prologo praeter unum locum illum quem modo commemoravimus nulla reperiuntur: nam nec duas lacunas (7. 25) Keckii nec eiusdem Keckii Hermannique traiectionem interiectionis ἰοῦ ἰοῦ (25) nec Engeri interpolationem versus 32 nec denique audacissimam ultimorum prologi versuum (36—39) traiectionem commendatam illam ab Herwerdeno probare ullo modo potuimus.

Nunc vide quaeso nostrae quantulaecumque artis in instaurando Aeschylo modestam audaciam quae fere in singulis litteris ac syllabis leniter immutandis continere se satis habeat. veluti nullo negotio nempe unius fere litterulae vel lineolae vel apicis mutatione correximus 3 ἄγκοθεν pro ἄγκαθεν, 4 κατεῖδον pro κάτοιδα, 8 ἐλπίζειν pro ἐλπίζον, 9 αὖ τήνδε pro εὖτ' ἂν δέ, 21 χαράν vel χαρᾷ pro χάριν, 29 θύcομαι pro θήcομαι, 35 ἄκων pro ἑκών.

Quaeritur denique quantum haec ipsa prologi emendatio quam temptavimus, ad illustrandam Aeschyli artem eiusque ἠθοποιΐαν et indolem excubitoris a poeta descriptam valeat. ac primum quidem constat excubitoris personam sumptam esse ab Homero Od. δ, 524 sqq.

τὸν δ' ἄρ' ἀπὸ cκοπιῆc εἶδε cκοπόc, ὅν ῥα καθεῖcεν
Αἴγιcθοc δολόμητιc ἄγων· ὑπὸ δ' ἔcχετο μιcθόν,
χρυcοῦ δοιὰ τάλαντα· φύλαcce δ' ὅγ' εἰc ἐνιαυτόν,
μή ἑ λάθοι παριών, μνήcαιτο δὲ θούριδοc ἀλκῆc.
βῆ δ' ἴμεν ἀγγελέων πρὸc δώματα ποιμένι λαῶν.

